

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Piscibvs|| Et Cetis|| Libri V||

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529014

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-11089

ILLVSTRISSIMO AC CEL-
SISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO
DOMINO
WILHELMO
VI,

HASSIAE LANDGRAVIO,
COMITI
CATTIMELIBOCIAE, DIEZAE, ZIGEN-
HAINII ET NIDDAE, etc.
MAGNORVM IMPERII PRINCIPVM ET
LIBERTATIS GERMANIAE VINDICVM,
POSTERITATI,

MAXIMORVM REGVM FOEDERATO,
LITERARVM MECOENATI
OMNIVM BONORVM DELICIO;

PRAEMISSO, DE FELICI AVSPICATISSIMI
CONIVGII INITI CVM CELSISSIMA PRINCIPE
BRANDEBVRGICA SVCESSV, VOTO

DEVM SIMVL PRECATVS, VT CELSITVDINEM
SVAM IMPERIO, ET ILLVSTRISSIMAE DOMVI
HASSIACAE DIVRNARE ET PERENNARE VELIT:

HANC HISTORIAE NATVRALIS
DE PISCIBVS PARTEM

humillime dicat et offert, utque Sua Celsitudo qualescunque hos
conatus vultu celsissimae Familiae erga literas fuero, excipere,
et se, suaque studia commendata habere dignetur,

Demisse orat

CELSISSIMO PRINCIPI

Devotus Cliens

JOANNES JONSTONVS M. D.



PRAEFATIO AD LECTOREM.



HCCETibi Historiae naturalis specimen, studiose Lector. In piscibus id exhibere voluit Tytopographus: ego non multum interesse arbitrabar, in quibus daretur; modo et reliqua, quod Deo volente fiet, prodirent. Suscepti laboris tui mihi commodum causa; cui forte per diffusa volumina haecenus incumbere molestum erat. Taceo jucunditatem, qua melioribus ingenis, dum inexhaustam specierum naturalium varietatem, et stupendum eorundem genium exhibet, illabitur: *Deum, eruditionem, conversationem, et naturae imitationem*, si respexeris, summe eam necessariam comperies. *Deum dico.* Cultor quotidianus infinitae Dei Potentiae et bonitatis esse teneris. Hic Naturae liber tibi ejus post sacrum codicem admiranda aperit. Machinam hic tantae vastitatis invenies; tantae et ejus partes molis, ut difficile sit judicare, quid magis in stuporem nos agat, infinita partium a se invicem distantia, an tanta earundem in se magnitudo. Videbis aspectu vilia, et tantae subtilitatis corpuscula, ut nulla plane esse appareant; sed quarum virtutes maximis illis controversiam faciant. Sol centies sexagesies, vel ut alii, centies quadragies major est Historico naturali terra; tantae velocitatis idem, ut una hora decies mille miliarium conficiat. *Proximum etsi terris Sydus, Luna;* ab iisdem tamen, dum minimum distat, LII. terrae Semidiametris; hoc est, miliarium astronomicorum 178698. removetur: quae si in nostra miliaria per 52. reduci deberent, quanta quaelo distantia non exsurget? Terra et aqua in unum globum redacta; etsi gravia corpora, ita tamen in medio aëre suspensa librantur, et ad polos mundi disponuntur, ut ne latum quidem unguem, vel ab oriente in occidentem dimoveri; aut a Septentrione in Austrum, vel viceversa, propelli possint. Pisciculus est Echeus, quem Remoram dicimus. At idem, gubernaculo navis affixus, immobilem eam reddere creditur. Ferruginea gleba Magnes. At quae non miracula ejus beneficio patramus? Imbellis populus formicae: tamen iis Reipublicae ratio, memoria cura. *Semina erosa condunt, ne rursus in fruges exeant e terra. Madefacta imbre proferunt et siccant. Et quoniam ex diverso convehunt, altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam, velut nudinis, dantur.* Exiguum insectum Apis, nec ullius, si solo aspectu aestimari debet, pretii. At si earum naturam, Rempublicam, opera excusseris, exclamabis; *rerum naturam nusquam magis quam in minimis totam esse.* Infinitae haec potentiae argumenta, quae Historicus naturalis suggerit. Bonitatem si attendas, grande illius documentum, quod nulla re natura ad conservationem sui destituatur, quod omnes hujus universi partes, singulari nexu inter se colligentur,

tur, et sibi mutuam ad conservationem totius praestent subsidium: quod superiora, etsi mole, loco et qualitatibus nobiliora videantur, inferioribus quasi inserviant: et denique, quod cuncta homini tanquam regulo suo famulentur. Rem se ita habere, per universam corporum naturalium seriem, in Historia deducitur. Bona *eruditionis* nostrae pars naturalium peritia. In eo desudat intellectus noster, ut quaenam sit sublimium, elementorum, subterraneorum, plantarum, animalium, hominis denique ipsius conditio, penitus cognoscat. Spinosae illae de materia prima, infinito, loco, tempore, motu, generatione, etc. quaestiones huic desiderio non sufficiunt: historia, si exacte instrui velis, consulenda est. Generalia sunt quae praecipiantur, et isagoges primo vicem tenent: in adyta, per singularia inducimur. Ab his illa abstrahi, per eadem restringi, confirmari, refutari, nemini ignotum. Nullae nobis metallorum, lapidum, terrarum, succorum, fluorum, plantarum etc. differentiae essent, nisi a singularibus eorundemque inter se comparatione peterentur. Non poterat Aristoteles et ex eo Plinius scribere, *Capita piscibus proportionem corporis maxima: Nulli animali cui cornua exsertos dentes, sed omnibus concavos, piscium omnibus serratos praeter scaro: volucris nullos praeter vespertilionem: Quibus longa crura, iis et longa colla: Cornigera una parte dentata, et quae in pedibus talos habent, saevo pinguescere, bisulca, scissive in digitos pedibus, adipe;* etc. nisi historiam consulisset. Inde ergo tibi et in hoc puncto necessaria; quod forte accuratissime explicatum, ut omnia solet Excellentissimus D. Sperlingius Amicus noster singularis in specialioribus Physicae, quas adhuc premit, partibusque dabit. De *Conversatione* res clara est. Eo saepius de naturalibus miraculis inter familiares sermones agitur, quo magis ingenia oblectant. Quantum olim apud veteres in convivis in usu, Plutarchi symposiaca, et Athenaei, Dipnosophistae docebant. *Naturae imitatio* summus sapientiae nostrae apex est. Haec indigentiae humanae subvenit, opes auxit, ingenium supra sortem mortalem extulit. Deo quasi similes reddimur, dum ipsius naturae machinamentis uli, eandem, generando, corrumpendo, transformando, provehendo, impediendo, divertendo, resolvendo, seducendo, etc. nobis quasi subiecti et famulari cogimus. Ausum est haec ingenium humanum, coelum perpetuo et uniformi motu aemulari, ignes perpetuos, deducta quasi astris face, accendere, ventis, pluviis, iridibus, fulguribus, tonitribus, minari, aërem in unum coactum librare; aquas in declive ire solitas, in sublime propellere, monstra et novas species formare, lapides pretiosos fundere; corpora in sua principia, plumbum in hydrargirum, ferrum in liquorem rubiginosum resolvere; arbores argenteas et aluminosas subito producere; plantarum incrementa retardare vel accelerare; easdem in seipsas transmutare: ex cineribus resuscitare; facultate purgativa, et venenata imbueri; ex stupidis, lignis, et mineralibus, Deos, coelites, heroas, Aquilas, columbas, muscas, mundum adeoque ipsum efformare, iisque animam inspirare; oculum syderibus inferre; exilibus stupendam molem adaptare; Musica affectis varios excitare et sopire; daemonum denique apparitiones, spectra, et nescio quas *πολυμορφίας* ad instar Morganae Rheginae in freto Mamertino, de qua ingeniosissimus Kircherus, Artis magnae Lucis et umbrae. L. 10. c. 1. agit, mentiri. An haec absque naturalium cognitione perfecta? Falleris. Non potest agricola suum agrum bene profcindere, efringere, tertiare, occare, runcare, sarrire: non hortulanus suum hortum plantare; opilio ovibus prospicere; pecuarius pecori subvenire; venator feras sectari; piscator squamigero gregi insidiari; auceps aviculas allicere; etc. absque hujus subsidiis si fuerit. Hujus beneficio convenientia animantibus. Adamus nomina imposuit: et Caini posteritas artes fabriles invenit. Non est ergo mirum, et Salomonem tantum huic studio impendisse, ut de plantis et animalibus libros, quos nos periisse dolemus, Urreta in Bibliotheca

theca Præteganis habere nugatur, scripserit; tantum et Alexandrum M. indagandi Animalium per Aristotelem natura, sumptum, ut summa ad plura talenta exereverit: tantum et præterito seculo Franciscum I. Gallorum Regem, ut *Gyllium* et *Bellonium*, viros eruditissimos, et quorum quaedam in hac materia scripta extant, in remotas Europae partes, quin Asiam et Africam miserit. Hujus etiam sine dubio admiratione factum, quod præter Reges et Principes, præcipui Philosophi in eam inquisiverint, et posteritati commendarint. Habemus præter eos, quos in Bibliothecis, Alexandrina, Constantinopolitana, Pergamenfi, et aliis periiisse dolemus; qui que forte adhuc cum blattis et tineis conflctantur, inter veteres Geographos Aristotelem, Theophrastum, Dioscoridem, Aelianum, Oppianum, Columellam, Varronem, Palladium, etc. et qui omnium instar est Plinium, ejus Solinus simia appellatur; inter recentiores, Gesnerum Germaniae Plinium, Aldrovandum, Wottonum, Turnerum, Mouffetum, Agricolum, Boërium, Baccium, Ruveum, Schonfeldium, Freygiun, Mathiolum, Tabernomontanum, Bauhinum Ximenem, Bustamantium, Rondeletium, Bellonium, Caesium, Thevetum, Marggravium, Pisonem, ab Horto, etc. et qui utriusque Indiae Navigationes scribere. Hinc fit, ut sæpe mirari soleam, quod nullam huic Historiae in Academiis, Bononiensem si excipias (in Wittenbergenfi quoque eam coepit urgere Cl. Sperlingius) Professionem assignatam videam: et malimus sæpe inter quaestiones de generalibus motis consensescere, nulli vitae generi prompti, quam naturae abdita scrutari, quae omni inserviunt. Et tantum de Historia naturali. De *Labore* meo haec paucis habe. Totam me naturalem historiam pertexere constituisse, si mihi ad tantas curas Deus vitam producere voluerit, eamque ex vastis illis tam recentium quam antiquorum, Plinii imprimis, Aristotelis, Oppiani, Gesneri et Aldrovandi, voluminibus excerptam, et brevioribus gyris inclusam, ut te quasi scripta introducerem: illa praecipue quae ad naturalium cognitionem spectant, omiſſis aliis attingere, ne te distraham: ordinem qui mihi videtur commodissimus sequi, ut memoria tua juvetur: Paralipomena ex recentioribus illis imprimis qui Indica nobis dedere, addidisse, ne quid omiſſum esse conqueraris: in descriptionibus autorum ipsorum plerumque verbis uti, sæpe et breviora capita inferere, ne quid secus acceptum occurrat: Autorum loca etiam ab illis neglecta adjecisse, ne te ab his abduci per compendia, imaginieris: Figuras et quidem elegantes ut Chalcographus adjiceret persuasi, ut descriptiones facilius conciperes, et impressam memoriae imaginem, specie ipse visa depromere posses. In hoc de piscibus volumine adjectos quosdam ex Schonfeldio, habebis: Liber vero quartus ex Marggravii, in cuius nimis matura morte, ingentem Resp. literaria jacturam fecit, Historia Brasiliae naturali totidem verbis depromptus est. Cur ad suas classes reduci non potuerint, dixi. His interim fruiere, studiose Lector, et ad sequentes nundinas, Avium, Quadrupedum, et Aquaticorum, Exanguium, quae jam parata, Historiam expecta. Bene vale, et studiis nostris fave. Dabam Lesznae Polonorum ex Musaeo, in cureotide Nativitatis Salvatoris nostri, Anno M. DC. LI.

tamen ab Aristotele plerique, Bellonius, Gellius, Jovius, Aldrovandus, Columna praecipui. Castellus nudum eius skeleton misit et paucis ita descripsit. Neapoli frequens est, quod miror, etc.

LAMIAM, quae παρά τῆ λήμος a gula quibusdam dicitur. Nicander ^{c Athen. l. 7.} Carchariam et Scyllam vocari scribit, Rondeletius eandem cum Canine Carcharia facit. Plinius inter Cartilagineos planos enumerat. De-

scriptionem ejus nemo veterum supeditat. Maximam evadere, cute integri scabra os in anteriore capitis parte habere, *dentibus* plus minus ducentis in utraque maxilla per quater nos versus dispositis, ad radicem latis, in acutum et pyramidem desinentibus, ad latera crenatis, refertum Bellonius prodit. Vere an falso, non dixerim. Generis Galeorum certe, qui longi pisces sunt, eandem pronunciat.

PUNCTVM XII.

De Lumpo Anglorum et Pisce gibbo.

TAB. XIII. **P**isces qui Anglis Lumpus, quasi massa informis dicitur, sic describitur a Turnero. Piscis edulis est Lumpus noster, etc. Dorsum rubicundum, ventrem album habere, et in magnis deliciis reputari Malsarias addidit. Nos eum molli et in ore disfluente carne, esse experti sumus, cum Andreaepoli in Scotia studiis operam daremus.

Pisces GIBBOSVM Graeci ^{ταρι-δανον} vocant, reperitur in mari Balthico corii portiuncula, quam Fabricius Gesnero misit. Crassiuscula et tenax est, punctis multis seu tuberculis exasperatur. Eminent etiam Spinae quaedam ceu rubi, sed mucrone recto, pyramidis forma, aliae magnae aliae parvae ex fusco albicantes. De sua pictura sic Gesnerus, etc.



TITVLVS II.

DE PISCIBVS MARINIS SAXATILIBVS.

CAPVT I.

De Saxatilibus Squammosis.

ARTICVLVS I.

De Scaro.

TAB. XIII. **A**bsoluta Pelagiorum natura, Saxatiles sequuntur, inter hos primos Scarus, qui seu από τῆ σκαίρεν, id est, tripudiando, seu ^{a Athen. l. 7.} quod Athenaeo ^a placet, quod inclusus nassis, crebris caudae ictibus, qui σκαίρεμοι seu σκαίρισμοι vocantur, aversus, fores laxat, atque ita retrorsum erumpat; seu quod algam, aliasque herbas depascatur; σκαίρεν enim interdum est νέμεδοι, ita dicitur; *Meryrix* quoque seu *Ruminax*, ut Scaliger ^{b Aristot. H. A. l. 9. c. 50.} vertit, ab Aristotele ^b quod latis utriusque maxillae dentibus solus ruminet, *Cerebrum Jovis* Ennio vocatur. Sero olim Romanis et toti Italiae visus; ideo nec latinum piscis nomen habetur. Duo illius sunt genera, unum quod ^{c Aristot. H. A. l. 9. c. 50.} *Onias*, bene ab Onisco distinguendus, quod alino concolor sit, dicitur. *Al-*

terum, cui *αίολος*, ex Nicandro Thytyreno nomen imposuit ^{c Athen. l. 7.} Athenaeus. ^{d Oppian. Hal. l. 4.} Oppianus modo *σκαίρον*, modo *βάλιον* cognominat. *Onias* squammis est magnis tenuibus, colore ex caeruleo nigrescente, ventre candido; Sargo, corporis forma ad rotundam accedente, aculeorum pinnarumque situ, et numero, similis, macula duntaxat nigra, in cauda, et quod lineis nigris in dorso ad ventrem careat, distinguitur. *Oculos* habet magnos, supercilia coloris Indici.

Dentes hominis modo planos imo solus latos, superioribus dentibus carere, quod Michael Ephesius prodidit, falsum, si *Meryx* est, et habere comperit. *Branchiae* ipsi binae, simplices alterae, alterae duplices, plura et majora in maxillis ossia tubercula.

Cauda